



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Bulla resumptionis Concilij sub Ivlio 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

Sedis Legatis, statuit, & decernit, Sessionem ipsam, quam hac die 2. mensis Iunii, presentis anni 1547. celebrare decreuerat, ad diem Iouis post festum Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, quæ erit 15. mensis Septembris proxime futuri, quoad prædictas, & alias materias expediendas, differendam, & prorogandam esse, quemadmodum differt, & prorogatur ita tamē, quod prosecutio discussionis, & examinationis eorum, quæ tam ad dogmata, quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, & terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro eius libito & voluntate, etiam in priuata Congregatione, abbreviare, & prorogare libere possit, & valeat.

Die 14. Septemb. M. D. XLVII in Congregatione generali, Bononiæ prorogata fuit Sessio, quæ futura erat die sequenti, ad beneplacitum sacri Concilij.

B V L L A R E S U M P T I O N I S
C O N C I L I I T R I D E N T I N I
S V B I V L I O I I I .
Pont. Max.

Iulius Episcopus, seruus seruorum Dei,
ad futuram rei memoriam

Cum ad tollendam religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore, non sine totius Christiani orbis perturbatione, & scâdalo

vigue-

viguerunt; bonum, opportunum, & expediens esse videatur, sicuti etiã carissimus in Christo filius noster, Carolus Romanorum Imperator, semper Augustus, nobis per suas litteras, & nuncios significari fecit, vt sacrum œcumenicum generale Concilium per fel. rec. Paulũ Papã III. prædecessorem nostrum, indictum, & per nos, tunc Cardinalatus honore fungētes, atq; ipsius prædecessoris nomine, vna cum duobus alijs S. Romane Ecclesie Cardinalibus ipsi Concilio presidentes, inceptum, ordinatum, & cõtinuatum, in quo plures publicæ, & solemnes habitæ fuerunt Sessiones, pluraque tam in causa fidei, quàm reformationis promulgata decreta, multaq; etiam ad virãq; causam pertinentia examinata & discussa, ad ciuitatem Tridētinam reducat: Nos, a ad quos, vt summos pro tēpore Pontifices spectat generalia Concilia indicare, & dirigere, vt Ecclesie pacem, & Christianæ fidei atque orthodoxe religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem & gloriam procuremus, & quantũ in nobis est, tranquillati ipsius Germaniæ, quæ sanè prouincia retroactis temporibus in vera religione, ac sacrorum Conciliorũ, & sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaq; maximis Pontificibus, Christi redēptoris nostri in terra Vicarijs, debita obedientia, & reuerentia, nulli Christianorum prouinciæ fuit vniquam secunda, paternè consulamus, sperantes per ipsius

a Teste
 Marcel. I.
 in ep. I. ad
 epi. prou.
 Antioch.
 & Pelag.
 2. in ep.
 sua decr.
 & Boni-
 facio e-
 pisc. ad
 Zachariã
 Pap. scri.
 & synodo
 Chalced.
 act. I. & 2.
 Nicana.
 tom. I.
 act. 6. &
 Nicolao
 I. in ep.
 ad Mi-
 chaëlem
 Imp.

ipsius Dei gratiam & benignitatem futurum,
 ut Reges omnes ac Principes Christiani iustis,
 pijsq; nostris in hac re votis annuant, faueant
 atq; assistat: venerabiles fratres Patriarchas,
 Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios
 Abbates, omnesq; alios & singulos, qui de iu-
 re, vel cōsuetudine, vel privilegio Cōcilijs gene-
 ralibus interesse debent, quosque idem præde-
 cessor noster in suis Indictionib. & alijs qui-
 buscūq; de super cōfectis & publicatis litteris,
 Consilio interesse voluit, per v. scera misericor-
 dia Domini nostri Iesu Christi, hortamur, re-
 quirimus, & monemus, ut proximis futuris
 Kalend. Maij, quem diem ad ipsum Concilium
 in eo, in quo nunc reperitur, statu resumēdum
 & prosequendum, præuia matura deliberatio-
 ne, & ex certa nostra sciētia, & de Apostoli-
 cæ auctoritatis plenitudine, ac venerabiliū fra-
 trum nostrorū eiusdē sanctæ Romanæ Ecclesie
 Cardinalium cōsilio, & assensu, statuimus, de-
 cernimus, & declaramus, in ipsa ciuitate Tri-
 denti, legitimo cessante impedimento, conue-
 nire, & se congregare, ac ipsius Concilij conti-
 nuationi, & prosecutioni, omni mora postposi-
 ta, incūbere velint. Nos enim operā sedulo da-
 turi sumus, ut eodem tēpore, in eadem ciuita-
 te, nostri omninō adsint Legati, per quos si per-
 etatem nostram, valetudinemq; & Sedis A-
 postolicæ necessitates, personaliter adesse ne-
 quiverimus, Spiritu S. duce, ipsi Cōcilio præsi-
 debi-

debimus, quacunq; ipsius Concilij translatione, & suspensione, ceterisq; contrarijs non obstantibus quibuscunq; ac praesertim illis, quae idem praedecessor noster in suis litteris praeditis, quas cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, & decretis in suo robore permanere volumus, & decernimus, & quatenus opus sit, innouamus, voluit non obstare; irritum nihilominus decernentes, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum, hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innouationis, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorū eius, se nouerit incursum Datum Romae, apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicae M. D. LXVIII. Kal. Decemb.

Pontificatus nostri anno I.

M. Cardinalis Crescent.

Rom. Amaseus.